

Gd. 62.



SCHEDIASMA PRIMUM
DE VITA

ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORUM,

USQUE AD DIEM, QUO CORONATUS EST:

QUO
AD LUSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS
VERNAM

D. III. MENSIS APRILIS, A. R. S. cD Io cc lxxv.

INSTITUENDAM,
PATRONOS, FAUTORES,

ATQUE
AMICOS LITTERARUM

QUA PAR EST OBSERVANTIA, PIETATE ET HUMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
RECTOR.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.

SCHEDEIA SMA PRIMUM

DE VITA

ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORUM

* * * * *

Quantum bonarum artium alumni ab illa historiae disciplina, quae ad patriam spectat, vel adjumenti, vel ornamenti ad omne vitae genus sperare possint, non mihi demonstrandum esse arbitror. Ac profecto haec disciplina ipsa se satis commendat suavitate sua. Etenim cum omnino patria caritas maxima sit, non quisquam facile ita illiberalem ac durum a natura habet animum, qui iis audiendis legendisque, quae respiciunt patriam, non iucunde adficiatur. Itaque nostris historiae alumni non solum universa praecepta de gentibus externis proponimus, sed illos etiam in justam patriae consuetudinem magis magisque in dies adducere studemus. Cujus rei documentum dabimus ex una parte in nonnullis Schediasmatibus de vita Adolphi Nassovii, Regis Romanorum. Equidem mihi non hoc fumo, ut perfectam consuetudinis atque vitae Adolphi imaginem exprimere coner; (quis id ausus sit promittere in tanta ejus aetatis & monumentorum negligentia?) sed statui ex idoneis auctoribus tantum colligere, & in unum corpus congerere, quantum fini nostro conveniat.

* * * * *





VITA ADOLPHI NASSOVII ANTE DIGNITATEM
REGIAM.



Adolphus natus est patre *Walvamo*, Comite Nassovia, & matre *Adelbeida*, filia *Dietberici*, Comitis Catimelibocensis, sorore *Eberbardi*, Comitis Catimeliboci, qui in negotiis Regis *Rudolphi I.* atque *Adolpho* clarus habetur. (a) Itaque *Henricus Dives*, magnum illud generis Principum Nassoviorum columen, fuit *Adolphi* nostri *Avus*, cujus progenies tot sapientissimorum Principum, rerumque gestarum gloria insignium, fecundissima genitrix, quæ cum summis Europæ Principibus ac Regibus sanguine & affinitate conjuncta: cujus nomen monumentis Germaniæ, Belgii, Britanniaëque illustratur atque celebratur sempiternis.

Vulgaris quidem est opinio, *Adolphum* an. MCCLV. in vitam venisse; (b) sed adest tabula, ex qua cognoscimus, illum conjugii cujusdam *Nicolai de Scharfenschein* feuda quædam Nassovica, quæ huic in viduitate alimenta præberent, a. MCCLXXVII. sabbato ante adscensionem Domini confirmasse, adeoque terras suas hereditarias imperio rexisse: quo facto facile ad credendum

A 2

(a) Nassauische Geschlechtsstafel von Joh. Georg Sagelgans. p. 3, 6. Hist. Austr. ad a. 1292.

(b) Sagelgans I. c. p. 6.

dum inducor, *Adolphum* hoc tempore amplius viginti duos habuisse annos, utque ita ante a. MCCLV. natum fuisse. (c)

De loco genitili *Nassovienses* civitates pugnant inter se, atque contendunt. In Castro *Nassau* non iste natus esse videtur, quia illud ante & post divisionem terrarum *Nassoiicarum* utrique stirpi erat commune, & in hujusmodi locis communibus illo tempore familiae raro rem suam domesticam habere solebant. At *Walramus* ex sua parte obtinebat duo Castra eximia, *Weilburg* & *Idstein*, quae ambo ejus domicilio aequae apta videri poterant. Sed cum aliquanto post Rex *Adolphus Filiae Regis Bohemiae* in sponsalibus cum *Ruperto, Adolphi Filio* contractis, in Castro *Idstein* praestituisset sedem, pignori que illud dedisset, hoc videtur praeter alios illo tempore factum ac integrum fuisse. Ex quibus conjicimus, *Walramum* vel ante factam terrarum *Nassoiicarum* divisionem vel post eam sibi *Idsteinam* delegisse sedem ac domicilium, atque adeo *Adolphum Idsteinae* editum esse in lucem. (d)

Hunc iis artibus, quibus illo tempore puerilis aetas Principum impertiri debebat, eruditum fuisse, istorum testimonio comprobamus, a quibus litteras *Latinas, Gallicas & Germanicas* calluisse dicitur. (e)

Quod profecto non debemus temere casive factum existimare; sed quod ejus parentes re ipsa cognoverant, litterarum humaniorum apparatus vel ad subsidia, vel ornamenta Principum pertinere.

Atque etiam hoc non parvi ducendum est, quod lumen litterarum isto obscuro aeo adeo in Germania non fuerit extinctum, ut ex disciplina vicinarum scholarum *Moguntiae, Fuldae, Würzburgae, Wormaticae*, quae, ut tum erant tempora, aliquid habebant claritatis, ad disciplinam Principum domesticam instituendam, bonarum artium doctores peti non potuerint. (f)

Simulac *Adolphus* noster belli erat patiens, per laborem usu militiam in Belgio didicisse videtur. Etenim secundae stirpis *Comites Gelriae*, qui in his locis imperium per nonnulla saecula obtinuerunt, non solum erant cum *Nassoviis* ejusdem originis, sed etiam avia *Adolphi*, conjux *Henrici Divitis* secundum *Gelriae* scriptores *Otonis*, Comitis hujus nominis secundi fuit filia, (g)

Quum igitur hac cognatione *Comites Gelriae & Nassovia* continerentur, contigisse videtur, ut *Comites Nassovienses* saepe in *Gelria* versarentur, adeoque in *Belgicis* regionibus, quae tum temporis bellis perpetuis tentabantur, *Comitum Gelriae* castra sequerentur, eisque suam praestarent operam.

Atque

(c) Gudenus Cod. dipl. Mog. T. V. p. 602.

(d) Nassauische Stammtafel, Beylagen lit. A. Frankf. 1744. bey Varrentrapp. conf. Gudenus cod. dipl. T. I. p. 859.

(e) Annal. Colm. ad a. 1292.

(f) conf. Pezii thes. anectot. T. VI. p. 189. sq.

(g) Tschennacher Annal. Cliv. p. 469. sq. edit. I. Pontanus Hist. Gelriae, p. 90.

Atque simul hoc tempore in Belgio præ multis aliis imperii provinciis erat aliquid litterarum Latinarum, & Gallicarum fatis, quibus potuit uti *Adolphus*, si quoque his locis idoneum tempus ratus sit litterarum studii obsequendi suis.

Cæterum ille a gravissimis scriptoribus, qui de indole ejus judicant, dicitur *Princeps magnanimus & magni consilii, miles strenuus, stature mediocris, agilis, amabilis.* (b)

Adolphus in matrimonio hæbebat *Imaginam*, filiam *Gerlachi*, Dynastæ terræ Limburgensis prope Lanam, omnibus sui sexus virtutibus ornatissimam. (i)

Limburgi Dynastas viros primi ordinis nobiles fuisse, vel peritissimè contendent. (k) De anno, quo *Adolphus* inierat matrimonium, nulla memoria est prodita. Illud a. MCCLXXVII. exstitisse, ex hoc diducamus, quod, ut supra monuimus, is jam eodem anno in Comitatum a patre hereditate relictum imperaverit.

Quod matrimonium cum aliis omnibus causis, tum maxime subole numerosa & egregia felicissimum fuit. Suscepit enim ille ex sua conjugè *Imagina* septem filios, *Henricum, Rupertum, Gerlachum, Adolphum, Walramum*, tresque filias, *Adelheidam, Imaginam, Mechtildam.* (l)

Terræ *Adolphi* hereditariæ in dimidio comitatu Nassovico, ex Dynastiis *Weilburg, Idstein, Wiesbaden* composito, sine dubio constiterunt. (m) Quo anno imperium in illas adeptus fuerit, minus accurate definiri potest. Id quidem facile est ad intelligendum, errasse *Textorem*, qui *Walramum*, patrem *Adolphi* a. MCCLXXXIX. mortuum in annalibus suis scriptum reliquit: negotia enim, quæ ab *Adolpho* a. MCCLXXVII. gesta esse supra diximus, de imperio illius testantur: ex quo conjectura consequimur, *Walramum* aut hoc ipso anno, aut ante eum decessisse vita.

Qualis *Adolphus* postea in comitatu suo fuerit, nonnulla testimonia proferre lubet.

Anno MCCLXXX. *Adolphus*, consentiente conjugè *Imagina*, cum Cænobio *Tiefenthal* in Rhenogavia, *St. Elisabethæ* sacrato, eamque ob causam olim *Elisabethenthal* vocato, pro auctoritate sua pactioem fecit, qua prædia nonnulla, in terra Nassoviensi sita, ratione utrique parti opportuniori inter se invicem permutaverunt. (n)

A 3

Idem

(b) Magnam Chron. Belg. p. 423. Lehmanns Speyer. Chron. L. V. c. 118. Henr. Stero ad a. 1293.

(i) Hagelgans L. c. p. 6.

(k) Joh. Jac. Reinbards kleine Ausführungen P. I. p. 294.

(l) Hagelgans L. c. p. 12.

(m) Nassauische Stammtafel I. c.

(n) Hagelgans L. c. p. 7.

Idem a. MCCLXXXI. rem quandam inter *Wernherum*, Archiepiscopum Moguntinum, & *Comitem Sponheimensem* Moguntia transactam coram Rege *Rudolpho I.* cum aliis vicinis Comitibus testimonio suo confirmavit. (o)

Circa id tempus accidit, ut *Adolphus* ac *Gottfridus*, Dynastes Epsteinensis, de variis rebus distinerentur litibus, diuque terroribus se invicem vexarent: quo facto *Wiesbadena* a *Gottfrido* fere penitus fuit destructa. Quibus malis tandem utriusque defatigati, *Wernherum*, Archiepiscopum, capiebant arbitrum, qui a. MCCLXXXIII. d. XXX. Aug. *Schnaffnaburgii*, acquies conditionibus propositis controversiam finivit. (p)

Itaque otio *Nassovia* restituto, *Adolphus Wernheri* benevolentia habuit amorem & religioni cultum, cum praedio cuidam *Kloppenheimensi* in terra *Nassoica*, quod *Ecclesia St. Petri* Moguntina emerat, a. MCCLXXXIII, in vigilia B. Michaelis liberalissime daret immunitatem. (q)

Quae necessitudo ipsi cum *Ludovico*, Comite Palatino fuerit, vel ex hoc facile intelligitur, quod se *Castellanum Cubae*, vulgo *Caub*, cujus Castrum *Gudenfels* appellatur, illi obstrictum esse, a. MCCLXXXVII. litteris profiteatur. In qua causa illi facta fuit facultas, substituendi vicarium, qui ipsius fungeretur partibus. Etsi enim in hujusmodi feudis obtinendis, quae ad defendenda Castella spectabant, viri nobiles cum inferioris, tum superioris ordinis pares existimati fuerint, tamen haec erat diversitas, ut viri nobiles inferiores ipsi huic officio praesse deberent; Superioribus alium virum nobilem, eumque inferiorem in locum suum substituere liceret. (r)

Paulo post secutum est illud, quod memoria est multo dignius. Quamvis Castrum *Idstein* antiquissimis temporibus conditum esse videatur, tamen *villa* Castro adjuncta ante imperium *Adolphi* nondum mœnibus fuerat circumdata. Itaque *Adolphus* non dubitavit Regem *Rudolphum I.* Moguntia adire, ab eoque petere, ut ille *villam suam Etchesteinam* (*Idsteinam* nostram) muris & turribus muniendi faceret potestatem, simulque ei varia urbis jura concederet. At cum hac aetate etiam alii parvi vici pro more medii aevi in litteris publicis *villae* appellentur, quales sunt in vicinia *Königshofen*, *Oberfelbach*, *Lentingshan*, *Waltcrustela*; (s) minime est dubium, *villam Idsteinam* eo tempore non multum ab illis vicis abhorruisse, spatiumque aedificiorum, quae Castro erant proxima, & *villam* constituebant, angustis circum scriptum fuisse terminis.

Qui-

(o) Gudenus Cod. dipl. T. I. p. 786.

(p) *Iohannis* spicileg. dipl. I. p. 315. conf. viri venerabilis, *Gottf. Ant. Schenks* Merkwürdigkeiten der Stadt *Wissbaden*. P. II. p. 87. sq.

(q) *Iohannis* T. II. rer. Mog. p. 912.

(r) *Kopp* de diff. Comitum & nobilium Sect. III. §. 7. p. 321.

(s) *Iohannis* spicileg. I. c. p. 315.



Quibus *Adolphi* precibus postquam *Rudolphus I.* a. MCCLXXXVII. d. III. Maji Moguntiae facile reliquit locum, *Adolphus* quidem videtur partem murorum aedificare cepisse: sed existimandum est, illum postea & bellis Belgicis, & negotiis Imperii Romani impeditum fuisse, quo minus opus susceptum perficere posset. Quare post mortem *Adolphi* filius ejus *Rupertus* illud privilegium a Rege *Alberto I.* MCCCII. d. XXI. Nov. Boppardiae renovandum curavit. Hic igitur, quod superfuit munitionis, continuavit: & frater ejus *Gerlachus, Rupertus*, a. MCCCIV, in Bohemia mortuo, ad finem perduxisse, putatur. Sed ab ineunte seculo praesenti *Georgius Augustus*, beatæ memoriæ Princeps Idsteinensis magnam veterum murorum partem ex uno latere demolitus est, ea quidem mente, ut multa nova aedificia exstruendo oppidi fines dilataret. (t)

Interim cum hæ litteræ, istius privilegii testes, aliquamdiu latuerint, alia fuit fama, Regem *Adolphum* Castrum *Adolphseck* in finibus terræ *Nassovia* condidisse. (u)

Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, qui id amore cujusdam concubinæ victum aedificasse dicant, ob eamque causam se inimicissimis *Adolphi* deservire præ se ferant. Nihil enim insulsius excogitari potest, quam illa fictio de concubina *Adolphi*. Enim vero maledicentissimi scriptores; qui vel minima illius vitia vestigant atque odorantur, de hoc vitio tacent.

At si verum quæris, *Adolphum*, Comitem *Wiesbaden*sem, Regis nostri nepotem, a. MCCCXVI. hujus Castrum conditorem esse, ex quadam tabula cognosces. (x)

Et si autem fides hujus tabulæ resignari non possit, sunt tamen, qui ita interpretentur, *Adolphum* Regem hujus Castrum conditorem, & ejus nepotem *Adolphum restauratorem* existimandum esse, praesertim, cum Scriptor quidam affirmet, Regem *Albertum I.* a. MCCCII. locum *Adolphseck* destruxisse. (y)

Sed nihil est horum, quod non infirmari possit. *Adolphus* enim Rex, qui tot negotiis districtus erat, ut ne *Idsteinæ* quidem mœnia perficere posset, multo minus in exstruendo Castro *Adolphseck* morandi tempus habuisse videtur.

Id non est dubitandum, quin Rex *Albertus I.* a. MCCCII. cum Archiepiscopis Rheni bellum gesserit de vestigalibus Rheni, & victoriam adeptus, hoc anno circa diem B. Martini junxerit pacem. (z) Cur vero *Albertus* tum temporis in hac vicinitate versatus, etiam loco *Adolphseck* fuerit infestus,

(z) Ipsæ litteræ Regis *Alberti I.* quæ sententiam *Rudolphi I.* repetunt & confirmant in tabulariis *Nassovicis* repositæ inveniuntur. vid. copiam ex originali. N. i. p.

(u) *Merians Topograph. Hass. p. 55.*

(x) *Jo. Nicol. Borrius in dissert. Francof. 1737. P. I. p. 404.*

(y) *Antiquarius des Lahnstroms p. 518.*

(z) *Schmanns Speyer. Chron. p. 632.*

atus, nullam causam invenimus. Neque enim Comitem *Rupertum* cum Archiepiscopis contra *Albertum I.* arma cepisse credendum est. Dedit potius *Albertus* specimina benevolentiae *Ruperto*, cum illi hoc anno d. XXI. Nov. opus munitionis Idsteinensis continuare liberalissime permisit. (a)

Nunc quidem vetustas hoc Castrum *Adolphoeck* paulatim exedendo peremit: at non video, cur illud inter opera fulti conditoris a vulgo numeretur. Erat enim pro antiquorum temporum ratione in loco idoneo collocatum, silvis, paludibus & modica arte ita munitum, ut non facile externa vis ingruere posset.

Igitur exagitetur ardelionum natio, ineptiis rhythmorum occupata, omnia faciendo nihil sciens.

Cujus ludibrii qualis sit causa, is existimabit, qui hoc a *Fabricio* relatum legerit: *Antequam secundo Rheno Bonnam adeas, conspicies Rudolphi secessum, (Rudolphi Ducis cujusdam Palatini) seu castellum, germanice dictum: Rodolffs= Eck, quod ille, ut amatam suam, que in vicino latitabat Monasterio, quotidie spectare posset, exstrui curavit, unde lapidi hæc impressa est inscriptio:*

War Rodolff nit ein Eck,

Dat he um eine Nonn ließ buen Rodolffs= Eck. (b)

Quam igitur *Rudolphs= Eck* & *Adolphs= Eck* eundem referunt sonum in cædendo, temere vulgus illum rhythmum ad *Adolphum Nassovium*, eumque Regem transtulit:

War Adolph nicht ein Eck,

Daß Er ließ bauen Adolphs= Eck?

(Er baut ein Schloß in diese Eck.)

Sed redeo ad id, unde oratio mea divertit.

Obiit a MCCLXXXVIII. d. XXI. Febr. *Adelheida*, mater *Adolphi, Socia Ordinis Sanctæ Claræ Moguntinæ*. Hæc tanto desiderio sui adfecerat cunctos, ut non solum *Henricus*, Archiepiscopus Moguntinus, illi iusta perfolveret, sed etiam Rex *Rudolphus I.* illius funeri adesset. *Adelheide* virtutis quo testator esset memoria, nomen ejus in lapide incisum, positum est ad introitum Monasterii Moguntini St. *Claræ*. Quodsi igitur *Adelheida*, comitante *Adolpho* humata esse videatur, huic iterum aditus ad Regem *Rudolphum I.* patebat. (c)

Certe eodem anno MCCLXXXVIII. ille cum valido Teutonicorum exercitu profectus est in Belgium, contra *Johannem*, Ducem Brabantie pugnatorus. Ortum est hoc bellum a. MCCLXXXIV. cum post mortem *Henrici, Ducis*

(a) conf. Schenks Geschichtebeschreibung der Stadt Wisbaden p. 179. 199.

(b) Jo. Fabricii Amœnitates Theologicae p. 744.

(c) Hagelgans l. c. p. 3 & 6.

Ducis ultimi Limburgensis, qui sine heredibus decesserat, *Reinald*, Comes Gelriæ, cujus conjux *Ermigardis* vel filia vel soror hujus Ducis putatur, Limburgensem Ducatum affectaret, repugnante *Adolpho* comite, de *Monte*, sibi que has terras post obitum Ducis, patrum sui jure hereditario vindicante. Sed *Comes de Monte* prævidens, se *Reinaldo* non fore parem, jus suum *Johanni*, Duci Brabantia ita concessit, ut hic emto illo Ducatu jus suum persequeretur. Quoties congressi sint, & quot proeliis *Adolphus* noster interfuerit, non lucide apparet. *Textor* numerum lex proelium definivit; qua ratione sit usus, in medio relinquo. Id vero non dubitamus, *Adolphum* nostrum proelio *Woringensi* præsto fuisse. Pugnabant ex una parte *Johannes*, Dux Brabantia, *Adolphus*, Comes de Monte, Comes *Fuliacensis*, *Comes de Marca*, *Comes de Waldege*, aliique Comites & Barones, nec non cives Colonienfes, qui a Principe suo *Sigfrido* defecerant: ex altera parte *Reinaldus*, Comes Gelriæ, *Sigfridus*, Archiepiscopus Colonienfis, *Adolphus Nassovius*, Comes *Lutsemburgensis* cum suis fratribus. Proelium ad *Woringam* commissum est d. V. Jun. d. B. Bonifacii, eodemque Sabbato. Qua pugna Dux Brabantia superior discessit: multi sunt interfecti, multi ab illo capti, in quorum numero *Reinaldus*, *Sigfridus*, atque *Adolphus* noster referuntur. (d)

Et si vero *Adolphus* noster ductus fuerit captivus, tamen paulo post libertas ei restituta esse videtur. Nam ex negotio, quo pactum quoddam inter *Uricum*, comitem Hanoviensem & virum nobilem de *Falckenstein* in loco *Cocheim* Calendis Octobri. hujus anni perficiendum curasse dicitur, intelligimus, illum circiter hoc tempus fuisse liberum. Denique in pactione, qua *Philippus*, Rex Gallia, in hac causa arbiter, a MCCLXXXIX. Sabbato ante diem festum B. Lucae de redemptione captivorum agit, totamque controversiam in Belgio litigantium tollit, omnino non fit mentio de captivitate *Adolphi*: quod indicio est, illum ante hanc pactionem vel nullo, vel parvo redemptionis pretio fuisse liberatum. (e)

Et si autem in hac pugna non bene cesserat, tamen *Adolphus* magnam virtutis gloriam consecutus esse fertur. (f)

Itaque ex his, quæ hæcenus de illo dixi, facile est intellectu, illum ante dignitatem regiam plurimum tempus in Nassovia & in Belgio consumfisse. Quare omitterem opiniones leves de vita & possessionibus *Adolphi* in *Norico*,
B nifi

(d) *Pontanus* in hist. Gelriæ p. 160. sqq. *Levvold de Northof*. Chron. Com. de Marka apud Meibom. script. rer. Germ. T. I. p. 391. sqq. Sunt, qui hoc proelium *Woringense* in annum MCCLXXXVII. rejiciendum putant: (conf. *Hagelgans* l. c. p. 7.) Sed cum Bonifacius 1287. diem Jovis, & non Sabbatum hujus anni insigniverit, hæc sententia facile frangitur.

(e) *Dumont*. corps dipl. T. I. p. 268.

(f) *Cyprianus* de Cæsariibus p. 443. *Sugger Spiegel der Ehren des Erzhäuses Oesterreich* p. 208.

nisi ipsam rem nos locus admoneret. Magna mihi est copia memorandi, qui attribuant *Adolpho* nostro Norimbergæ domum, civitatem, varias possessiones in locis, quæ adjacent, & quod honorificentissimum existimandum est, præsidium in Comitibus, a Rege *Rudolpho I.* Norimbergæ a. MCCLXXIV. habitis. (g)

Equidem ad laudem *Adolphi* nostri multum video interesse, illum hoc *Præsidis* gradu apud Regem *Rudolphum I.* fuisse, ipsumque per se hoc honore dignum putandum: at quibus rationibus & argumentis illa res confirmari possit, parum compertum est.

Si verum est, quod ajunt, ut *Eberhardus* Catimelibocensis, frater *Adelheide*, matris *Adolphi* in Comitibus *Rudolphi* fuerit iudex, potuit fieri, ut aliquando *Adolphus* avunculo suo nobilissimus Tiro adesset: quod forte illius famæ dedit originem.

Atque hoc modo sententia *Pezelii* consequitur verisimilitudinem, affirmantis, *Adolphum* a puero in aula *Rudolphi* Imperatoris educatum fuisse. (h)

Nec non eadem *Eberhardi* præsentia *Diethero*, *Adolphi* fratri natu majori, viro sacri ordinis Prædicatorum forte præbit occasione, Norimbergam proficiscendi, ibique aliquando sacra administrandi. Hæc enim tradit *Meisterlin*: Sub eo (Rudolpho I.) frater *Adolphi*, comitis ac curiæ Magistri intravit hic conventum Prædicatorum, quo post modum electus est in Archiepiscopum Trevirensem, vir fama præclarus. (i)

Equidem non difficile arbitror accuratius reperire, quid hunc errorem de præsidio *Adolphi* genuerit. Regnante nimirum *Maximiliano I.* Camera Imperiali a. MDI. ex Wormatia Norimbergam translata, contigit, ut unus ex posteris Regis nostri *Adolphus III.* Comes Wiesbadensis, hujus judicii supremi Norimbergæ extiterit iudex vel præses. Hinc vicinitate nominis [facile factum esse videtur, ut scriptores recentiores in istum errorem raperentur. (k)

Pari modo illa sententia scriptorum de *Adolphi* possessionibus, quæ Norimbergæ & in agro circa illam sitæ feruntur, veri assimatoribus non probatur. Enimvero nulla bonorum Norimbergensium mentio fuit facta, cum

Wal-

(g) *Knipschild* de civitatibus Imperial. (Ulma 1657.) p. 913. Historici Norimbergenses, *Meisterlin*, p. 67. *Mulner*, p. 175. *Joh. ab Indagine* p. 365. *Chron. Carionis* L. V. p. 561. *Imhof.* not. proc. LV. c. V. *Pistorii* amoenitates P. VII. p. 2047. quibus inserta est *Jo. Dav. Kæhleri* disquisitio historica, an *Adolphus*, Comes Nassovius, postea Imperator Rom. fuerit civis Norimbergensis? Hoc quidem *Kæhler* affirmavit, quod mirum nobis videtur.

(h) *Pezel* in *Mellific.* P. III. p. 245.

(i) *Meisterlin* in exarat. rer. gest. civit. Neuvronberg. P. II. c. 3. conf. *Hagelgans* l. c. p. 6.

(k) *Hagelgans* l. c. p. 35.

Walramus & *Otto* a. MCCLV. finis provinciârum suarum constituissent. (l)

Nec quidquam est, ex quo judicari possit, vel *Walramum*, vel *Ottonem* sibi illa alio modo comparasse.

Sed quoniam per negotia *Adolphi* in hanc provinciam Norimbergensem venimus, non indignum videtur, memorare, quid his aliisque erroribus aperuerit locum. *Norimbergenses* videlicet vere suum vindicant *Emichonem*, Comitem Nassovium, *Otonis* Dillenburgensis filium, qui non solum *Annam*, *Friderici III.* Burggravii Norimbergensis filiam duxerat uxorem, sed etiam liberalitate Regum Germaniæ varia sibi acquisiverat bona. Cujus matrimonii initium etsi obscurum sit, tamen id a. MCCXCIX. existisse, documentis confirmari potest. (m)

Itaque errat Jo. David *Kæbler*, qui docens in Academia Altorfensi, antiquo Codice anniversariorum Franciscanorum Norimbergensium Manuscripto deceptus, istum *Emichonem*, filium *Otonis* falso Regis *Adolphi* filium appellat. (n)

Idem *Monachus*, quem sequitur *Kæbler*, tam ignarus est generis Nassovici, ut Augustam conjugem Imperatoris *Adolphi*, quam scriptores diserte & constanter dicunt *Imaginam*, vocet *Margaretham*. Quis vero nesciat, hanc *Margaretham* esse conjugem *Adolphi* illius, qui est Regis nostri nepos?

Firmiora autem sunt ea, quæ *Kæbler* de possessionibus *Emichonis* ejusque filii his verbis complectitur: Ex documentis Norimbergensibus constat, Imperatorem Ludovicum IV. Bavarum *Emiconi*, Comiti Nassovio a. 1329. jure hypothecario permisisse *Cammersteinium*, *Schwobacum*, *Altorfium*, & *Herolzbergam*, interque tria posteriora loca, uti libellus censualis vetus membranaceus indicat ad ea Imperia'ia bona pertinuerunt, quibus Advocatus provincialis nomine *Cæsaris* jus dixit. Hæc vero insignia bona omnia postea venditione pervenerunt in potestatem Burggraviorum Norimbergensium. *Johannes* Comes Nassovius, (filius *Emiconis*) a. 1361. vendidit *Herolzbergam* & *Altorfium*, & a 1364. *Schwobacum*, *Cammersteinium* & *Kornburgum* pro certa numeratâ pecuniæ summa, quam alienationem filius ejusdem a. 1365. ratam habuit. (o)

Nec non iste *Johannes*, *Emichonis* filius, Norimbergæ possidebat ædes amplas, quas cuidam *Volkammero* a. MCCCLXIII. vendidit, his utens verbis: *Wir Johann Graffe zu Nassau, Herrn zu Hademar.* (p)

B 2

Nam-

(l) Nassauische Stammtafel l. c.

(m) Kentsch Brandenb. Ederhain p. 320. Joh. ab Indagine p. 387. Hagelgans l. c. p. 17.

(n) Pistorii amœnitates l. c. 2047.

(o) Idem l. c. p. 2065.

(p) Idem l. c. p. 2057.

Namque ejus patrem *Emichonem*, divisione terrarum interfratres a. MCCCIII. facta, Nassoviam Hadamariam obtinuisse, eamque filio *Johanni* hereditate obvenisse, manifestum est. (q)

Equidem Nassovienses has Norimbergenses possessiones non vendidisse arbitror, nisi pecuniam, quam ex istis venditionibus retulerunt, in res sibi opportuniore impendere statuissent. Namque si *Textori* fides est habenda, illi emerant a. MCCCII. Dynastiam *Bredam*, quæ illis multo utilior, & recentiori ætate gloriosior existimanda fuit, quam bona Norimbergensia. (r)

Quodsi vero posteritatem Regis *Adolphi* respicimus, non dubium est, quin ejus nepos, *Adolphus III.* Comes Wiesbadensis, *Margaretham*, *Friderici IV.* Burggraviæ Norimbergensis filiam circiter a. MCCCXXX. junxerit sibi matrimonio. Qui etsi verò egregia dote locupletatus & ornatus fuerit, tamen nec Norimbergæ domicilium habuit, neque ibi terras possedit, præfertim cum socer ejus jam a. MCCCXXXII. e vita discessisset. (s)

Ab hac conjuge Norimbergensi cuidam villæ, in agro Wiesbadensi sitæ, quæ vocatur *Nürnberg Hof*, nomen inditum esse videtur. (t)

Atque hæc fuit causa, quæ scriptoribus locum fecit, varia Regi *Adolpho* assignandi, ut, quia *Adolphus* Rex illustrior fuit, quam ejus nepos & *Emicho* Hadamariensis, ea dixerint de Rege *Adolpho* & *Regina*, quæ dici deberent de *Adolpho* nepote atque *Emichone*, & horum uxoribus, liberis ac possessionibus.

ACTA INTER ELIGENDUM REGEM ADOLPHUM.

Venio nunc ad illa tempora, quibus *Adolphus* Rex Romanorum fuit electus, quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. Rex *Rudolphus I.* postquam a. MCCXCI. d. XV. Jul. florente regno decesserat, per decem fere menses fuit interregnum, deliberantibus Germaniæ Principibus, ad quem Summam Imperii Romani deferrent. Inprimis affectabat Imperium *Albertus*, Dux Austriæ, filius *Rudolphi I.* & modo *Rudolphi* sanguinem ac stirpem regiæ majestati convenire, neminem putabat mirari debere. Ipse providens ob id certamen, patre suo extincto, insignia regni custodita in Castro *Trifels* prope oppidulum *Anweiler* in Palatinatu versus Landaviam ab Imperatore *Friderico I.* ædificato, per nuntios missos præoccupavit. (u)

Jam

(q) Reinhard I. c. P. II. p. 195.

(r) Tetter Nassauische Chronik p. 91.

(s) Kentsch I. c. Jung in Comitibus Burggraviæ in Nürnberg. p. 194. Hagelgans I. c. p. 18.

(t) Schenk's Geschichtsbearbeitung der Stadt Wiesbaden p. 184.

(u) v. Sornet's Dester. Reichschronik. C. 377. p. 245. Sagger, I. c. p. 206. Merians Topogr. Palat. p. 12. Häberlins Auszug der allgemeinen Weltgeschichte, N. Hist. II. Band. p. 626.

Jam præmia decernebat, immunitates promittebat, si in se [patris] defuncti transfutura esset fortuna. Hic enim sub hac conditione nobilissimo viro, *Hartardo de Mehrenberg* tertiam partem censuum Wezlarensium, quam ejus majores liberalitate Regum antea perceperant, ratam habebat. (x)

Illa tempestate *Ludovicus*, Comes Palatinus, Princeps Elector, affinitate adductus, cum *Alberto Aufriaco* fecisse putatur. (y) Nec non *Albertus* sibi adseverat *Alsatenses* & *Suevos*, quasi in eorum sententia Imperii Romani fortuna disceptaret. (z)

Sed plurimi Imperii Principes pertinaciter *Alberto* erant offensi, inprimis *Duces Bavariae*, & *Wenceslaus*, Rex Bohemiarum, quem tantum aberat, ut per legatum, *Comitem Hohenloensem* movere posset, ut potius *Wenceslaus*, et si *Alberti* sororem in matrimonio habebat, alios Principes ab *Alberto* abalienaret. (a)

Terrebat Principes natura *Alberti*, avida imperii, gloriæ, magnarum opum, & præceps ad explendam cupiditatem. Ita superiori tempore, quo *Rudolphus I.* filio suo *Alberto* ambiret regnum, haud ambigue in hunc intentus fuit probra, quæ illi odium & contemtum attulerunt. (b)

Quum igitur *Albertus* plurimis Imperii ordinibus invisusque esset, eo facilius fieri poterat, ut, auctore *Gerhardo*, Archiepiscopo Moguntino, in *Adolphum Nassovium* studiis inclinarent suis. Hic enim, qui cum nemine Principum Electorum inimicitiam gerebat, eis erat acceptus, generosa stirpe, consilii plenus, manu fortis, optimo ætatis flore, circiter quadragesimum annum agens. (c)

At sunt, qui temere sibi persuadeant, nihil aliud huic defuisse, quam opes magnas, majoresque terras hereditate relictas. Enimvero quemadmodum Principes Electores ante non magnitudine opum, sed prudentiæ & virtutis præstantia mensi sunt *Rudolphum I.* ita etiam quid illi requirant terribiliorem in novo Rege possessionum magnificentiam, quam ferret libertatis & juris Imperii æquabilitas? Inter eligendum *Rudolphum Ottocaro*, Regi Bohemiarum, imperii avido, nihil magis obstitisse putatur, quam ejus potentia formidolosa. (d)

B 3

Præ-

(x) de Ludolf in scilicet. ad hist. civit. Imp. Wezlar. append. II. ad Part. II. observ. forens. p. 246.

(y) Avent. in annal. Bojorum p. 687.

(z) Hist. Austr. p. 481. Albert. Argent. p. 109.

(a) Aventini annal. l. c. Suggest. l. c. p. 206.

(b) Continuat. Mart. Polon. apud Eckart. corp. hist. med. ævi T. I. p. 1429.

(c) Suggest. l. c. p. 208 Quum igitur hac ætate, quam diximus, esset *Adolphus*, auctor Magni chronici Belgici p. 423. minus apte illum vocat juvenem ætate.

(d) conf. Håberlin l. c. p. 524.

Præterea etiam hæc præcipienda videntur nostris historiæ alumnis, ne ista tempora ad nostra referant, neve eos reditus Imperiales, qui nostra ætate minores sunt, pari modo apud antiquos Germaniæ Reges fuisse arbitrentur. Namque reditus ex possessionibus terrarum Imperialium, ex civitatibus Imperii Romani, metallis, vestigalibus, & censu Judæorum & aliis rebus, ad sustentandam Regis dignitatem multum valebant. Et si hæc Imperii Romani bona prioribus temporibus indulgentia Regum valde erant imminuta, tamen in iis restituendis *Rudolphum I.* quam maxime fuisse industrium, satis superque constat. (e)

Quid? quod Reges ita magno apparatu uterentur, non necesse erat: hæc enim erat ratio temporum, ut reges Germaniæ sedulo provincias obirent, & civitates Imperii, in quibus morabantur, illis magnam rerum, quas vitæ regalis usus desiderat, suppeditarent, copiam. Neque semper Regibus magni sumtuosique alendi erant exercitus, quia Principes Imperii pro rei necessitate suas illis adjungere solebant copias.

Quæ cum ita sint, *Scherz*ius verissime de Adolpho nostro judicat: licet opes, quas ad Imperium attulit, pro tuenda ejus summa dignitate, admodum essent exigue, dubium tamen non est, quin eadem nominis fama, qua *Rudolphus*, antecessor ejus, usus est, Imperio præfuisset, si modo postea fortunam æque faventem sibi, ac *Rudolpho*, fuisset expertus. (f)

Quorsum igitur hæc disputo? ut intelligere possimus, dignum profus fuisse *Adolphum*, qui Romanorum obtineret regnum, nec ex hac parte quidquam mali inesse consilii *Gerhardi Moguntini*, licet in omnibus rebus ejus partes tueri nolim.

Sigfridus, Archiepiscopus Coloniensis, cujus opera in electione *Adolphi* maxime celebratur, hunc Principi Electori Moguntino quam diligentissime commendasse videtur: cui ille militare munus fungens qualis esset, aperuit in bellis, quæ adversus Ducem Brabantæ gessit. (g) Præterea fuit *Sigfridus* Dynastes Westerbürgensis, (h) adeoque affinitate attingebat *Adolphum*; quoniam *Agnes*, soror Reginæ Imaginæ, cum quodam Dynaste Westerbürgensi fuerat nupta. (i)

Atque hoc, quod voluit *Sigfridus*, facilius *Gerhardo* Moguntino persuasit, cum quo propinqua cognatione *Adolphus* erat conjunctus, quippe *Elisabetha*, mater *Gerhardi*, conjux *Gottfridi*, Dynastæ Epsteinensis, fuit soror

(e) *Schmanns Speyer. Chronif. L. II. c. 44.* *Henr. Steronis annal. ad a. 1278.* *Albert. Argent. p. 104. de Ludewig Reliq. T. II. p. 250.*

(f) *Scherz. in disput. de injusta Adolphi Nassovii depositione 1711. Argent.*

(g) *Lewold de Northof. in Chron. Comitum de Marcka apud Meibom. p. 395.*

(h) *Fugger. l. c. p. 206.*

(i) *Johannis rer. Mog. T. I. in tab. gen. ad p. 666. conf. Reinhard l. c. P. I. p. 304.*

ror Comitis *Waltrami*, patris *Adolphi*. (k) Neque dubitabat *Gerhardus*, fore, ut, si daretur *Adolpho* diadema, hic optime cognatorum suorum confuleret rebus.

At sentiebat, id se sine ope *Wenceslai*, Regis Bohemiæ, facere non posse, magnamque ejus auctoritatem in illa re futuram. Nec difficile fuit *Wenceslaum* commovere, cum hic videret, conatus *Alberti*, quem vel maxime oderat, hoc modo optime a dignitate regia averfi. Conditiones de matrimonio ejus filia cum *Ruperto*, *Adolphi* filio propositæ ante diem Comitiorum conveniebant, quod ex iis, quæ deinde *Francofurti* & *Aquis* grani secuta sunt, facile conjicitur. Quibus igitur constitutis, *Wenceslaus*, *Ottomem Longum*, Marchionem Brandenburgicum, Imperii Romani Camerarium, facile impulit, ut sibi in eligendo Regem, quem vellet, promitteret suffragium. Ille enim *Otto* olim tutor *Wenceslai*, jam illi reconciliatus, in bello Polonico, quod tum gerebatur, *Wenceslai* favebat partibus.

Quo facto neque *Wenceslao*, neque *Otoni Longo* defuit studium, *Albrechtum*, Ducem Saxoniam, in partes trahendi suas. Quem vero cum non alienum ab *Alberto* Auftriaci, cognato suo, alio qui pecuniæ cupidum animadvertent, promissis quatuor millibus marcarum & quingentis argenti puri Bragenfis ponderis, a novo Rege quicumque fuerit, solvendis, ad suam perduxerunt voluntatem. Atque hæc, quæ de electione novi Regis inter istos tres Principes Electores occulte constituta sunt, *Albrechti* litteris a. MCCXCII. (lege XCI.) d. XXIX. Nov. Zittaviæ datis, significari, facile apparet. (l)

Illud vero incertum est, utrum *Adolpho* sciente, an imprudente hanc pecuniam promiserint: certe novum Regem pecuniam, de qua caverunt, dissolvissæ auctor est nemo.

Interim aderat dies Comitiorum *Francofurti*, quæ in litteris ad Regem *Wenceslaum* missis a *Gerhardo* Moguntino in diem II. Maji, & a *Ludovico*, Comite Palatino in diem XXX. Aprilis indicta sunt. (m)

Etsi vero inter hos dies ab utrisque constitutos non multum intererat, tamen litteras *Gerhardi* plus valuisse cognoscimus.

Conveniunt multi Principes, & cum illis tanta multitudo militum & diversorum hominum, ut eorum numerus vix æstimari potuerit. (n)

Sexto die Maji in *Monasterio Ordinis Prædicatorum Francofurti* deliberationem auspicabantur. Rex *Wenceslaus* ipse novi Regis electioni non interfuit, vel infirmitate valetudinis, vel potius negotiis belli Polonici impeditus. Sed aderant legati Bohemienfes, nobilissimi viri, functi summis honoribus:

(k) Tertor I. c. C. V. §. 41. Hagelgans I. c. p. 2.

(l) de Ludewig Reliq. T. V. p. 436. Lunig. cod. Germ. dipl. p. 974.

(m) de Sommersberg script. rer. Siles. T. I. p. 946. 199. Goldast de regno Bohem. T. II. app. p. 189. 199.

(n) Chron. St. Petri apud Mencken rer. Germ. T. III. p. 30.

ribus: hujus diei comitalis causa cum mandatis & cum publico testimonio venerant: justam & idoneam de absentia Regis sui exultationem jure jurando confirmarunt: petebant, ut *Gerhardus* Moguntinus *Wenceslai* vice simul suffragium ferret. Neque *Gerhardus*, cæteris Principibus consentientibus, hanc conditionem adspernatus est. (o)

Quum autem *Gerhardus* in illis litteris, ex quibus ista cognovimus, & quibus is de *Adolpho electo* promulgavit, nullius Principis Electoris absentis, præter *Wenceslaum*, fecit mentionem; de aliorum præsentia in his Comitibus non dubitandum esse videtur.

Equidem scio, *Goldastum* aliosque ita sensisse, *Albrechtum*, Ducem Saxoniam, intermisso *Wenceslai* itinere, etiam a proposito suo proficiscendi Francofurtum deflexisse: proferunt in hac causa epistolam quandam Germanicam, cujus auctor est quidam epitomator, qui epistolam eandem *Albrechti* latinam a. MCCXCI. d. XXIX Nov. *Zittavie* datam, contra sententiam *Albrechti* interpretatus est. Jam Vir clarissimus de *Ludewig* de probitate hujus epistolæ Germanicæ dubitavit. Certe ex loco & die, quo illa dicitur data, dijudicandum est, argumentum peti ex illa latina, de qua supra locuti sumus: at falso ex hac colligitur, *Albrechtum* a Comitibus Francofurti fuisse absentem. (p)

Quum vere de præsentia *Albrechti*, *Otonis Longi* & *Gerhardi* in his Comitibus judicetur, oratio illorum indicio esse videtur, qua ii removens *Adolphum* a Regno, ita usi dicuntur: *cum ante sex annos Regnum Rege caruerit Romanorum, nos Electores tres ex parte nostra & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota sua transtulerunt, jure ac canonice Adolfum de Nasowe; tunc non cognoscentes meliorem, in Regem elegimus Romanorum.* (q)

Quæ translatio votorum in istos tres Principes Electores facta minus apte diceretur, si absentes fuissent. Quanquam ex hoc testimonio conjici nolim, omnes, qui transtulisse vota sua dicuntur, fuisse absentes: poterat enim translatio a præsentibus ad præsentem fieri. De translatione absentis *Wenceslai* aliunde constat.

De præsentia *Ludovici*, Comitis Palatini, non dubitant, quamvis ante electionem *Adolphi* promulgatam iratus Comitibus excessisse existimetur, quod ex his *Tollneri* verbis colligunt: *Ludovicus Palatinus tandem, id quod necesse erat, invitus cedit, & electioni subscribit.* (r) *Lewold de Northof*

(o) Goldast. l. c. T. II. p. 193. sqq. de Sommersberg. l. c.

(p) Hagecii Chron. Bohemiam p. 469. Goldasti politische Reichshandel p. 2. de Ludewig ad aur. Bull. P. I. p. 358.

(q) Chron. Colmar. p. 58.

(r) Tollner in Hist. Palat. p. 415. Fugger l. c.

hōf præsentiam *Sigfridi* Colonienſis hoc modo ſignificare videtur: *Hic Adolphum, Comitem de Naſſowe elegit in Regem & conſecravit. (s)*

Equidem hoc loco de ſollemni electione, quemadmodum de ſollemni conſecratione, ſermonem eſſe arbitror.

Nec eſt, cur de præſentia *Bamundi*, Archiepiſcopi Trevirenſis, in Comitibus dubitemus, cum nūquam comperimus, id contra accidiffe.

Sed quicumque eligendi modus fuit, omnes Principes Electores in eligendo *Adolpho*, ſive abſentes, ſive præſentes, vel voce, vel litteris conſenſerunt. Quem conſenſum *Annales Colmarienſes* p. 26. his docent verbis: *Prima Maji Electores reliqui electionem in Moguntinum tum præſentem transferunt. Moguntinus Comitem Adolphum de Naſſow, cognatum ſuum eligit: conſentiunt reliqui. (t)*

Neque firmis rationibus niti videtur *Spangenberg* alique, qui ſibi temere perſuadeant, *Gerhardum* in iſtis Comitibus varios nexuiſſe dolos, ut cæterorum Principum ſuffragium eblandiretur, (u)

Jam ante diem Comitiorum quatuor Principes Electores, quos ſupra diximus, in ea fuerunt ſententia, nihil ut facerent, niſi quod maxime *Gerhardus* velle videretur. Nemo fere, præter *Ludovicum* Palatinum & *Bamundum* Trevirenſem, in Comitibus ſententiam rogandus erat ſuam: ad quorum gratiam conciliandum meo quidem iudicio non malis artibus opus fuit. Etenim etſi Comites Naſſovii ab Archiepiſcopis Trevirenſibus ex anno MCLVIII. Caſtrum *Naſſau* clientelari jure acceperint, tamen *Bamundus* majori Adolphi gloriæ non invadebat. Quam ob cauſam ſcribit *Brower*: Non *Segniter Bamundus* pro *Adolpho*, cliente ſuo & in armis impigro viro laborabat. (x) Illud proſecto, quoad poterat, dignitatem Adolphi tuebatur, ei pecuniam ſuppeditans. (y)

Si quis vero *Adolpho* fuerit adverſus, certe putandus eſt *Ludovicus* Palatinus, qui non ſolum propter affinitatem *Alberto* magis favere, ſed etiam ægre tuliffe videtur, quod *Adolpho* obnoxius eſſe deberet, qui adhuc fuerat ipſius Caſtellanus Cubæ in Caſtro Gudenfels. (z)

C

Ita

(s) *Lewold de Northof in Catal. Archiepiſc. Colon. ap. Meibom. rer. German. T. II. p. 10.*

(t) *In Chron. Auſtr. ad a. 1292. dicitur uniformi Conſilio & conſenſu electus: apud Albert. Argent. p. 109. a Principibus Aliemanniæ concorditer electus; apud Henr. Steyromer ad a. 1293. unanimiter ab omnibus Principibus electus.*

(u) *Chyriac Spangenbergſ Mansfeldiſche Chronik, p. 318. Fugger l. c. p. 207.*

(x) *Brower in annal. Trev. P. I. p. 172. conf. Reinhard l. c. P. II. p. 153.*

(y) *Kyriander in annal. p. 145.*

(z) *Aventinus in annal. Bojorum p. 687. hæc habet: Solo Ludovico Bojo, qui Alberto ſuffragabatur, fruſtra refragante. conf. Tollner, p. 415.*

Ita antea *Ottocarus*, Rex Bohemiæ imperium Rudolphi I. adspernabatur, quia hic Dux ipfius exercitus fuerat aliquando.

Sed cum animadverteret iste *Ludovicus* senex, jam plurimorum Principum Electorum sententiam valere, *cedit*, ut ait *Tollner*, & *electioni* subscribit.

Quibus igitur rite paratis, *Gerhardus* Moguntinus de electione Adolphi consensu Principum d. X. Maji a. MCCXCII. promulgavit: ipsum *electum Adolphum*, hoc die Francofurti præsentem in medium procedere, Hymnumque Ambrosianum canere iussit. (a)

Atque ita *Albertus*, qui spe imperii se admoventer Francofurto, fiducia Suevorum & Allatiensium inductus, non Windsheimiæ, ut credit *Fugger*, sed Hagenoviæ morans, de *Adolpho electo* audiebat, quæ minus vellet. (b)

ACTA ADOLPHI, REGIS ELECTI ANTE CORONAM DATAM.

Consilium nunc hoc erat *Adolphi*, ut reipublicæ negotia susciperet, licet corona nondum esset ornatus. Eodem die, quo de illius electione promulgabatur, *Wenceslao*, Regi Bohemiæ benevolentiam suam ita præstitit, ut, substituto in locum illius *Rubino de Coverna*, ei absentis ius possidendi omnes terras, quas adhuc ab Imperio Romano clientelæ titulo obtinuerat, auctoritate sua regia confirmaret, sub ea quidem conditione, ut, si per negotia *Wenceslai* liceret, ipse postea coram cum *Adolpho* hæc ageret: cuius rei nova confirmatio d. XIII. Maji accessit. (c)

Cætera cujusmodi sint, ex hoc iudices, quod d. XI. Maji *Adolphus* filium suum *Rupertum Judithæ*, filiæ *Wenceslai*, ita desponderet, ut, dote decem millium marcarum præstituta, *Wenceslaus* pensionem ante diem nuptiarum solvere promitteret. Rex vero *Adolphus* ob istam pecuniam *Wenceslao* quasdam Imperii possessiones, *terram Misnensem*, *Castrum* & *oppidum Altenburgum*, *Cbennitium*, *Zwickaviam*, & *totam terram Plisnensem*, nec non *Egram* ita oppignorabat, ut post junctum matrimonium ista oppignoratio evanesceret. (d)

Ipsa sponsalia d. XXX. Jun. præsentibus legatis Bohemiensibus Aquisgrani solennius contracta, & tabulæ dotis, de quibus suo loco dicemus, accu-

(a) Goldast. I. modo c. T. II. p. 193. sqq. de Sommersberg I. c. T. I. p. 946. Häbertin I. c. p. 630. ex fontibus.

(b) Albert. Argent. p. 109.

(c) Goldast. I. c. T. I. p. 41. sqq. Hagecii Böhmische Chronik p. 471.

(d) de Ludewig. Reliq. T. V. p. 434. Lunigii Cod. Germ. dipl. p. 971.

curatius confectæ sunt: (e) quanquam mors sponſæ præmatura a. MCCXCVII. prohibuit, quo minus iſta valerent. (f)

Melius cecidit *Mechtilde*, filia *Adolphi*, quæ *Rudolpho*, *Ludovici Palatini* filio, anno MCCXCV. nuptum fuerat data. (g)

Atque hac ratione *Adolphus* ſperabat, fore, ut hoc utroque connubio Regnum ſuum, ad exemplum *Rudolphi Habsburgici*, ſubſidiis fulciretur, dummodo par ei fortuna ſuffragata fuiſſet.

Præter iſta, quæ *Adolphum* d. XI. Maji feciſſe, jam ſupra diximus, alio factò multo majori hunc diem celebravit, quippe qui *novo Principe* Imperium Romanum ornandi non prætermiſit locum. *Henricus Infans*, Landgravius illuſtriſſimus, Dominus *Hæſſiæ*, natus erat patre *Dux Brabantie*, & matre *Thuringie Landgravius*, adeoque parentibus, quibus non deſuit dignitas Principalis: at non poſſidebat terram, cui jus ſuffragiorum in Comitibus Imperii Romani eſſet conjunctum. Quam ob cauſam *Henricus* civitatem ſuam *Eſchwegam* prope *Werram* cum omnibus ad eam pertinentibus Imperio Romano obtulit: quibus adjunxit Rex *Adolphus* Caſtrum *Bomenburgum*: atque ita feudo mixto conſtituto, iſta loca ad dignitatem Principatus evexit, ut *Henricus* ejusque heredes has terras titulo Principatus Imperii Romani, adeoque jus in Comitibus ſuffragia ferendi obtinerent. Reliqua *Hæſſia* velut allodium, quod dicunt, aliquamdiu perſiſtit, & poſtea etiam clientelæ jure ſe obſtringi paſſa eſt. (h)

Hæc dum geruntur, *Adolphus* parat iter ad coronam *Aquisgrani accipiendam*.

Illud vero non eſt inſciendam, de ſumtu, quem *Adolpho* neceſſe fuit illo tempore facere, *Gerhardum* Moguntinum ipſi opitulatum. Hic enim ad pecuniam *Adolpho* parandam quædam Caſtra villasque pro XX. millibus marcarum lubentiſſime oppignorabat, ſatis providens, fore, ut largam ab *Adolpho* acciperet uſuram. (i)

Quibus rebus perfectis, *Adolphus* *Francofurtum* relinquens, navem aſcendit, qua deduceretur *Aquisgranum*. Hæc cum Caſtrum *Furſenberg* prope *Bacharacum*, in quo erat præſidium *Palatinorum*, præter veheretur, illi ob non penſum vectigal tantam telorum vim in navem conjecerunt, ut

C 2

quo-

(e) Gudenus Cod. dipl. T. I. p. 859.

(f) Reinhard l. c. P. II. p. 301. Hagelgans l. c. p. 13.

(g) Tollner hiſt. Palat. c. XIX. p. 418.

(h) Eſtor in Origin. Jur. Publ. Hæſſ. L. III. c. 18. p. 126. ſqq. conf. Håberſin l. c. p. 632.

(i) Annal. Colm. ad a. 1292. p. 26.

quodam ad latus Regis sedente sauciato, vel ut alii dicunt, interfecto, ipsa Regis vita in magno verfaretur periculo. (k)

Qui etsi deinde profitebantur, se ignaros, Regem in navi vehi, in errorem fuisse inductos: tamen alii persuadebant Adolpho, *Ludovicum* Palatinum hujus facti auctorem esse, eundemque novum Regem per vim opprimere studere. Hoc verbum tam alte in pectus *Adolphi* descendit, ut res ad certamen ventura videretur. *Ludovicus* autem inscientiæ excusationem post adfert obsecratione, quæ justa vix visa est; at denique quicquid offensæ fuit, evanuit, affinitatis conjunctione, ubi ejus filio Rex filiam suam collocavisset, ut inter illos summæ amicitiae ex inimicitiiis vocatæ sint in gratiam. Sed illa aliquanto post facta esse legimus. (l)

Nos vero Regem perfunctum periculo spiculorum secuti Aquisgranum in terra sumus, ubi d. XXIV. Jun. *Illi Regineque Imagine* ab *Sigfrido*, Archiepiscopo Coloniensi, statis & solemnibus cærimoniis imposita est corona. (m)


ALIAS PLURA.

(k) Tollner l. c. p. 415. Fugger l. c. p. 208.

(l) An. MCCXCV. quo ista nuptiæ celebratæ dicuntur, *Ludovicum* naturæ debitum reddidisse, affirmat Tollner l. c. p. 415.

(m) Lewold de Northof catal. Archiepisc. Col. in Meibom. script. T. II. p. 10. Idem in Chron. Comit. de Marcka ad a. 1292.



N^{ro}. I.

Copia ex Originali.

Albertus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus.
 Universis sacri Romani imperii fidelibus gratiam suam & omne bonum. Accedens nostre majestatis presentiam nobilis Vir, Rupertus Comes de Nassowe fidelis noster dilectus, nobis humiliter supplicavit, ut privilegium per inclite recordationis Dominum Rudolfum Romanorum Regem predecessorem & genitorem nostrum karissimum, oppido suo *Etchesstein* traditum & concessum innovare & confirmare de benignitate regia dignaremur, cuius tenor talis est: Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex, semper augustus. Universis Imperii Romani fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Regalis serenitas libenter intendit commoditatibus subditorum, ut ex eo ceteri amplioris devotionis & fidei recipiant incentivum. Supplicante itaque nobis nobili Viro Adolfo Comite de Nassowe, fidei nostro dilecto, ut cum ipse villam habeat dictam *Etchesstein* ad erigendam municionem ibidem ex loci situ, suis oportunitatibus competentem, Nos ad perficiendum huius modi sue voluntatis propositum regium dignaremur adhibere consensum suis supplicationibus inclinati, ut fiat ad serviendum nobis & imperio ex prompto prompcior & reddatur devocior ex devoto, quod in eadem villa possit municionem erigere, prout sibi convenit, consensum nostrum benivolum & auctoritatem regiam adhibemus. Eandem villam ex plenitudine potestatis regie presentibus libertantes dantesque uniuersis imperii fidelibus firmiter in mandatis,

datis, ne quis ipsum Comitem in erectione municionis huius-
 modi contra indulti nostri tenorem aliqualiter impedire presu-
 mat. Et ut in eadem municione communis ementium & venden-
 cium procuretur utilitas & alterna commoditas augeatur amplio-
 rem ipsi Comiti gratiam facientes ibidem forum septimanale
 singulis terciis feriis perpetuo duximus edicendum, statuentes
 hoc edicto Regali, ut omnes, qui ad predictum forum pro emtio-
 nis & venditionis commercio exercendo convenerint in personis
 & rebus nostra & Imperii protectione gaudeant & forensium
 Privilegio libertatum. In cuius rei testimonium presens
 scriptum exinde conscribi & Majestatis nostre Sigillo jussi-
 mus communiri. Datum apud Mogunt: Anno Domini
 M. CC. LXXX. VII. o V. Non: mensis Maii. In dictione
 XV. Regni vero nostri Anno XIII. Cupientes igitur memo-
 rati Ruperti votiis supplicationibus non deesse presatum
 privilegium de benivolencia benignitatis regie innovamus,
 confirmamus, & presentis scripti Patrocinio communimus.
 Datum in Castris apud Bopardiam XI. Kalend. Decemb. Anno
 Domini Millefimo trecentesimo secundo. Indictione prima.
 Regni vero nostri Anno quinto.

Loc.
 SIGILLI
 appenden-
 tis.

Quod

Quod reliquum est, PATRONOS FAUTORES atque AMICOS litterarum ea, qua decet, reverentia & humanitate rogamus, ut Lustrationi nostræ Scholasticæ, declamationibus, & colloquiis benevole interesse velint.

HORA POST MERIDIEM SECUNDA :

I.) Ex Classe prima Exempti declamabunt, Gymnasio nostro valedicturi.

- 1) Jo. Carol. Willh. OTTO, Idsteinenfis, de *sceleris in scelere supplicio*. Germanice.
- 2) Wilh. Aug. CRAMER, Wiesbadensis, de *Constantia*. Gallice.
- * 3) Jo. Georg ENGEL, Idsteinenfis, de *religione Christiana, Solatii plena*. German.
- 4) Lud. Christ. DE JOSSA, Wiesbadensis, de *Deo, futura prudenter celante*. Lat.
- 5) Jo. Conrad BRUNN, Altenweilnavia-Naffovius, de *liberalitate*. Lat.
- 6) Jo. Jac. HEXAMER, Kyrna-Salmenfis, de *injustis hominum optatis*. Carm. Germ.

II.) Ex Classe secunda de mensa Platonica Sermones inter se conferent :

- 1) Jo. Phil. LEUCKEL, Naffadio-Haffus.
- 2) Jo. Balthaf. BLEICHENBACH, Cronberga-Moguntinus.
- 3) Leonh. Steph. HERBER, Langen-Schwalbaco-Haffus.
- 4) Phil. Casimir DIEFFENBACH, Rhoda-Emsensis Naffovius.
- 5) Henr. Christ. Wilh. HOFFMANN, Wiesbadensis.
- 6) Fried. Theod. RODRIAN, Neu-Bamberga-Palatinus.

III.) Ex

* Hic extra ordinem ultimo loco dicet, simulque Auditoribus spectatissimis pro benevolentia Gymnasio nostro præstita quam maximas aget gratias.

III.) Ex Classe tertia & quarta de laudabili Papirii,
 pueri Romani, taciturnitate inter se colloquentur.

- 1) Ludw. Aug. Wilh. SELL, Klingelbaco-Haffus.
- 2) Wilh. Christ. HENCK, Idsteinensis.
- 3) Jo. Phil. BENDER, Kirberga-Naffovius.
- 4) Carol. Phil. Reinh. KAISER, Hefftraca-Naffovius.
- 5) Georg. Fried. RANFT, Heidesheimia-Palatinus.



No 1627.8


KO78

ULB Halle

3

006 305 962







SCHEDIASMA PRIMUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORUM,

USQUE AD DIEM, QUO CORONATUS EST:

QUO
AD LUSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS
VERNAM

D. III. MENSIS APRILIS, A. R. S. cło Io cc lxxv.

INSTITUENDAM,
PATRONOS, FAUTORES,
ATQUE
AMICOS LITTERARUM

QUA PAR EST OBSERVANTIA, PIETATE ET HUMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
RECTOR.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.